

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4346

Auteur(s) : Raoul de Thiéville, Avranches (évêque)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1284

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul, évêque d'Avranches, vidime deux chartes de Jean Pesnel, chevalier, seigneur de Marcey, par lesquelles ce dernier confirme les donations faites à l'abbé et aux chanoines de La Lucerne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Lutzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Lutzerne, n° CXXXI, p. 113-114.

Dissertation critique

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presentes littere pervenerint Radulfus, miseratione divina Abrincensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse litteras sigillo nobilis viri Johannis Paganelli, militis, domini de Marceio, ut apparebat, sigillatas, non cancellatas, non abolitas, formam que sequitur continentes.

Universis presentes litteras inspecturis et audituris Johannes Paganelli, dominus de Marceio, filius domini Guillelmi Paganelli, militis, defuncti, salutem in Domino. Noverint universi me concessisse et hac presenti carta mea confirmasse viris religiosis abbati et conventui de Lucerna, pro salute anime mee, patris mei, matris mee, antecessorum et successorum meorum, illam donationem et elemosinationem sex quarteriorum frumenti, ad mensuram de Genez, quam fecit eisdem religiosis dominus Nicholaus Dastin, miles, in molendino suo de Miranda, ita quod ego et heredes mei in dictis sex quarteriis frumenti nichil de cetero poterimus reclamare nec dictos religiosos in aliquo molestare, vexare vel inquietare, ratione predictorum sex quarteriorum frumenti. Quod ut firmum et stabile perpetuis temporibus observetur, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno Domini M CC LX quinto, mense maio.

Universis presentes litteras inspecturis ac etiam audituris Johannes Paganelli, miles, dominus de Marceio, filius Guillelmi Paganelli, militis, defuncti, salutem in Domino. Noverint universi me concessisse et hac presenti carta mea confirmasse viris religiosis abbati et conventui de Lucerna, pro salute anime mee, patris mei, matris mee, antecessorum et successorum meorum, donationem et elemosinationem sex quarteriorum frumenti annui redditus, ad mensuram de Genez, quam fecit eisdem religiosis Nicholaus Dastin, miles, in molendino suo de Miranda, ita quod ego et heredes mei in dictis sex quarteriis frumenti nichil de cetero poterimus reclamare, nec dictos religiosos in aliquo molestare, vexare vel inquietare, ratione sex quarteriorum frumenti predictorum. Confirmo etiam per hanc cartam et ratas habeo pro me et heredibus meis illas litteras quas de ista elemosinatione prefatis religiosis condam,

antequam miles essem, feci et donavi intuitu karitatis. Et ut omnia premissa perpetuam et stabilem optineant firmitatem, presens scriptum sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno Domini M CC LXX sexto, mense marcio.

In cuius rei testimonium nos, ad petitionem dictorum religiosorum, propter cartarum predictarum pericula, presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum anno Domini M CC LXXX quarto, die martis ante cineres.